



## LOGICORUM

## LIBER SEPTIMUS,

De

## SYLLOGISMO.

*Cap. I. Materia syllogismi.*

**E**Xpositum est instrumentum Logicum noëti-  
cum: nunc exponetur dianoëticū, quod cum  
discursu ad benè disserendum adhibetur: *seu quo u-  
num axioma ex alio elicimus.*

Estque cū syllogismus, tum methodus.

Syllogismus est instrumentum dianoëticum,  
quo thema compositum cum argumento ita dis-  
ponitur, ut vi illius dispositionis ex antecedente  
necessariò inferatur consequens.

**Vocabulum  
syllogismi  
explicatū.**

Syllogismus est vocabulum mathematicum. Significat e-  
nim computationem. Nam συλλογίζεσθαι est comparare, seu  
multos numeros in unam summam colligere. In Logicis si-  
gnificat illud instrumentum, cujus beneficio cōclusio veluti  
summa ex præmissis colligitur: vel quia conclusio ex tribus  
terminis proportionalibus cōputatur, sicut in regulâ aureâ  
ex tribus datis & notis terminis elicitor quartus ignotus.  
Est autem è numero collectivorum: utpote habens suum  
materiale & formale. Præterea genus in hâc definitione est  
*instrumentum*, hoc est, notio secunda Logica, omnis mate-  
riæ realis expert. Nam syllogismus à Philosopho naturali  
vel mathematico formatus, non est syllogismus instrumen-  
tarius, sed naturalis, vel mathematicus. Itaq; syllogismi, pro-  
ut est Logicæ considerationis, genus neq; est dianoia, neque  
discursus. Nullum enim instrumentū Logicum est ipsa dia-  
noia, hoc est, tertia mentis operatio, seu quod idem est, non  
est ipse

**Genus syl-  
logismi  
quodnā sit?**